UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

Deo, sed non credunt in Deum, quia fiducia in Deum carent, qua se consolentur contra iram Dei. Quid multa? Insignis malitia Monachi ac magistri eius, Fabri, & similium cogit, oīa cauere, quæ possunt quoquo modo in calumniam rapi.

PROPOSITIO XVII.

QVi credit in Deum, non credit saluari suis operibus, seu uirtutibus, ac discredit omnibus creaturis.

CENSVRA.

SI credis in Deum, non discredis operibus & habitibus, id est, uirtutibus.

CONDEM. CENSVRAE.

HIc mire se torquet Sophista meus, & nititur probare ne fidem quidem ipsam iustificare, quando & ipsa habitus sit, sed paucis dicam. Fides quatenus habitus est, uel qualitas in nobis, eatenus non iustificat. Iustificat aūt quia apprehendit obiectum extra nos, id est, Christi merita & Dei misericordiam. Opera non iustificant. Fides est opus, ergo me fides iustificat. Respondeo, fides est opus, Ioan. 6. sed Dei opus, qui eam operatur in nobis. 1. Thess. 2. Qui operatur in uobis, qui credidistis. Dicit Frater: si non credis opera & uirtutes necessaria esse ad salutem, non credis in Deum. Imo si credes opera & uirtutes ad salutē necessaria, & non solam fidem, non credes in Deum sed in opera. Requirimus & nos necessario, utramq; iusticiam, & obedientiam in Deum & legem, sed diuersos fines eis constituimus, alius finis fidei, alius cæterarum uirtutum. Sed eum fides

opa nō iustificāt
Ioan. 6.
1. Thess. 2.

mater uirtutum sit, mater non potest carere sua prole, sic fides suis operibus, quæ ad fidei sequelam necessario requirun tur, sed non ad iustificationem spiritus. Si Fratri creditur, nec latro est saluatus, nec tot puerorum myriades, qui nihil operum fecerunt. Persalæ nugæ sunt Fratris somnia.

PROPOSITIO XVIII.

NAm si in te haberes quo saluari posses, quid crederes?

CENSVRA.

EN quod scripturis probare non potest, quàm subtili ratione munire conatur.

CONDEM. CENSVRAE.

NOn est certus ordo propositionum, sed miscellaneus. Nam quicquid potuit inuenire a me uel dictũ uel scriptum, illeuit in chartam. Cæterum cum fides sit donum Dei, Chrysost. Hebræ. 11. Quia Deus nobis fidem infundit, Et Ephe. 2. & sit in nobis, cauillatur Frater me mihijpsi esse contrarium, prædicat, inquit credendum esse, cuilibet saluari per fidem, quæ est in nobis, & idem abnegat, non esse credendum eo saluari posse, quod est in homine. Hæc est argutia Monachorum, & profecto recte ille dixerat, Sophista omnis odibilis est, multiplicat uerba non necessaria. Toties de natura fidei dixi, quæ in nobis est non natura sed gratia, Precium uero salutis nostræ Christus est, quem fide apprehendimus. Saluamur ergo beneficio fidei existentis in nobis per Dei gratiã & intentis in Christi satisfactionem. Nam fidei nostræ finis non est conditio dignitatis nostræ, sed misericordia

Chrysostomus Ephes. 2.

Sophista odibilis est